

tribus Coepiscopis rediens, non est receptus a populis, nec sibi voluerunt alii Episcopi communicare. Sed convocata Synodo, X. Episcoporum in Mariano, idem Severus dans erroris sui libellum, a fratribus benigne in Patriarcham receptus est. Episcopi autem, qui dictæ Synodo interfuerunt, sunt hi: Petrus de Altino, Clarissimus de Sabione, Angelus Tridentinus, Junior Veronensis, Oronotius Vicentinus, Laurentius Bellunensis, Rusticus de Tarvisio, Fonteius Feltrensis, Angelus Cenetensis, Maxentius Juliensis, & Adrianus Polensis. Hujus etiam tempore, sciviente adhuc multitudine Longobardorum, & imperante Mauricio Augusto, fames maxima & mortalitas per universam Italiam fuit.

Post obitum Severi Johannes Abbas cum consensu Regis, & Agisulphi Ducis Forojulienensis in Patriarcham in Aquilegia vetere ordinatur. In Grado quoque Candianus caput schismatis a Romanis instituitur. Candiano defuncto apud Gradum Epiphanius non sine schismate ordinatur: & ex tunc incepit nominari Patriarcha Gradenfis. Qui Epiphanius erat Primicerius Notariorum Romanorum.

- Marcianus Patriarcha fedit annis IX. (a)
 Fortunatus Patriarcha fedit annis III. (b)
 Johannes Patriarcha fedit annis XIV. (c)
 Johannes Patriarcha fedit annis IX.
 Johannes Patriarcha fedit annis X. (d)
 Petrus Patriarcha fedit annis XIII.

Serenus Patriarcha fedit annum I. Et nota, quod a Severo Patriarcha usque ad Calistum qui sequitur, Patriarchæ propter incursionem Romanorum non audebant stare in Aquilegia, sed habitationem sibi elegerunt in Cormons.

Sublato itaque de medio Sereno, ei succedit Calistus, Vir egregius, Ecclesiæ Tarvisanæ Archidiaconus, qui adnente Luitprando Rege Longobardorum, regimen Ecclesiæ Aquilegensis suscepit. Hoc tempore in castro Forojuliano, quod nunc Civitas Austria appellatur, Pemmo Dux præerat. Calistus vero in Cormons habitabat. De consensu & voluntate Ducum priorum Fidentius in castro Forojuliano Episcopus constituitur: ipso vero decedente Amator subrogatur, & in Episcopum ordinatur. Calistus autem, qui erat vir egregius, & nobilitate conspicuus, videns quod in ditione sua cum Duce & Nobilibus Amator Episcopus habitaret, & ipse Calistus rurali vulgo sociatus vitam duceret, valde sibi displicuit: & ad prædictam Civitatem veniens, Amatorem de Forojulii expulit, atque domum illius sibi habitationem statuit. Qua de causa magna inter Calistum Patriarcham & Pemmonem Ducem discordia orta est. Quid plura! Dux Pemmo contra Patriarcham cum multis Longobardis nobilibus consilium iniit: & apprehensum eundem Patriarcham ad castellum (e) Pucium supra mare, ut ipsum submergeret, duxit. Quod Deo prohibente non fecit: tantum ipsum diebus pluribus tribulationis pane in carcere sustentavit. Quod Rex Luitprandus audiens, contra Pemmonem Ducem in iram exarsit, & de Ducatu deposuit. Pemmo timore regio in Sclavorum patriam cum suis fugit. Rex vero dicti Pemmonis filios, & omnes qui Pemmoni adhaerant, longo tempore carceribus cruciavit. Post hæc Patriarcha ad Civitatem rediens, ibi Ecclesiam & Baptisterium S. Johannis atque

Palatium Patriarchale construxit: & Regis suffultus favore, Ecclesiam strenue gubernavit. Post hæc vero XL. ordinationis suæ anno, felici pace quievit: cujus corpus in prædicta, quam construxit, Ecclesia quiescit.

Signalus Patriarcha de genere Grimoaldi Regis fedit annos XLII. Hic natione Civitatenfis, ibi habitavit, & Ecclesiam prospere gubernavit.

S. Paulinus Patriarcha fedit annos XV. qui finito jam regno Longobardorum, & in captivitatem ducto Desiderio ipsorum Rege una cum uxore & filiis, ad gloriosum Karolum Magnum Imperatorem pro juribus Ecclesiæ ampliandis profectus est: & Vir iste miræ sanctitatis ab Imperatore Karolo privilegia valde pulchra obtinuit. Et rediens in Civitatem Austriæ, multis in vita miraculis claruit, & in morte: cujus Corpus in prædicta Civitate quiescit, & veneratur.

Ursus Patriarcha fedit annos V. Hic primus cepit proclamationem facere de Grado Insula, plebe Synodali jure subiecta Aquilegenfi Ecclesiæ: in qua quidam Venerus sibi nomen Patriarchæ usurpaverat.

Maxentius Patriarcha fedit annis XXVI. ad cujus preces B. Eugenius (f) Papa & Lodovicus Imperator ad instantiam Lotharii filii dicti Ludovici, universalem Synodum Mantuæ celebraverunt. In qua, eodem Maxentio proclamante, quod quidam Venerius sibi falso nomen Patriarchæ in Grado insula plebe Ecclesiæ Aquilegensis usurpaverat, & retractata hujusmodi causa, per dictam Synodum declaratum fuit, Gradum esse plebem Synodali jure Ecclesiæ Aquilegenfi subiectam, deposito Venero antedicto.

III.

Chronicon alterum, initio mutilum, quod in eodem Tabulario Capituli Civitatenfis adservatur.

..... ubi occisa fuerunt CLXXX. millia hominum, tunc rediens in Pannoniam, & reassumptis viribus iterum intravit Italiam, & destruxit omnes munitiones Forojulii; primo Castrum Forojulii, quod nunc Civitas Austria appellatur, destruxit; obsedit Aquilegiam tribus annis, & collem ubi nunc est Castrum Utini, pro sui tuitione manualiter fieri fecit. Tandem peccatis exigentibus, Aquilegia post tres annos capta est, & destructa per dictum Attilam, dicto Niceta Patriarcha ab infidelibus crudeliter interfecto. Et inde pergens, Veronam, Vincentiam, Brixiam, Bergamum, Mediolanum, Ticinum, Concordiam, Altinum (g) quod nunc Tarvisum est, & multas civitates alias igne ferroque consumpsit.

Marcellianus Patriarcha post Attilæ mortem, quant Deus ad preces & per orationes B. Leonis Papæ I. extinxit, fedit in Aquilegenfi Ecclesia annis XXVIII. Hoc tempore Zeno Romanorum Imperium gubernabat. Odoacer Ruthenorum Dux, occiso quodam Augustulo, qui Romanorum Imperium invadere præsumperat, Romam ingreditur, & totius Italiæ fere per (b) XIV. annos tenuit principatum. Quem Theodoricus Rex Gothorum, cui dictus Odoacer cum innumerabili occurrit exercitu, juxta Aquilegiam in campis uberimis debellavit.

Marcellinus post Marcellianum in sedem Patriarchalem instituitur, quam rexit annis XV. & non

(a) Apud Murat. annis VIII. (b) Apud Murat. annis XIII. (c) Apud Murat. Hic, & alter, qui sequitur, Johannes, desiderantur. (d) Apud Murat. annis X. (e) Apud

Murat. Pustini. (f) Apud Murat. Augustinus Papa, perperam. (g) Apud Murat. prope Tarvisum. (b) Apud Murat. per XIII. annos.